



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XXXIII. De conversione fidelium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

tractandum. pro ut statuitur *c. 11. h. t.* & tenentur Barbo, *ibid. n. 2.* citatis Abb. in *c. 1. h. t. n. 6.* Anchar, *n. 7.* Nav. *l. c. n. 19.* Sanch. *l. 9. d. 36. num. 5.* Rosel, Ang. Syl. & alios, item Pirh. *h. t. num. 28.* ed quod unus sic vivere potest in præjudicium proprium, non tamen in præjudicium alterius non consentientis. fecus tamen est, si alter non ad tempus tantum, sed absolute in perpetuum consensisset in alterius votum perpetuæ castitatis; tunc enim vivens non tenetur reddere debitum, nec alter ab illo petere potest, ed quod taliter concedens licentiam censetur renunciassè absolute juri suo conjugali, quod habet in alterum; cum absoluta castitas servari nequeat cum obligatione reddendi debitum conjugale, unde etiam dara licentia revocari nequit. ita cum *gl. in c. 11. caus. 33. q. 5. v. nisi auctor Laym. l. 4. c. 7. num. 15.* Pirh. *l. c.* contra Abb. in *c. charissimus. h. t. n. 5.* & Sanch. *l. c. d. 40. num. 17.* consentes posse maritum, non obstante tali à se datâ licentiâ, irritare tale votum uxoris, sicut irritare potest votum ab uxore etiam cum licentia sua editum non ve-

scendi carnibus, longinquam peregrinationem suscipiendi; verum in hoc est disparitas, quod quò ad ea, quæ spectant ad gubernationem domus & alia uxor subdita sit viro tanquam capiti suo, quam potestatem gubernativam, quia abdicare non potest maritus, eam concedendo uxori, licentiam ad istiusmodi vota dare. non censetur, poterit eadem adhuc irritare. non verò ita subiecta potestati viri, quò ad debitum & actus conjugales in ordine ad quæ equali jure & potestate gaudent maritus & uxor. & hinc tale votum perpetuum, ad quod ita absolute & illimitate uxori semel dedit licentiam, revocare seu irritare non potest, ut Laym. *l. c. num. 14.* Pirh. *cit. num. 28. in fine.* ubi tamen uxor vovit continentiam ad tempus, nullum certum tempus designando, maritusque simpliciter dixit, se contentum esse poterit, quandoque voluerit, licentiam revocare: è contra eam revocare non poterit, si uxore designante certum tempus v. g. pro quadagesima simpliciter concessit licentiam. Pirh. *n. 29.*

## TITULUS XXXIII.

### De conversione infidelium.

*Quest. 879. Infidelis conversus ad fidem, an & quando in conjugio cum infideli remanere possit ac debeat, & quid, si habeat plures uxores?*

1. **R**esp. ad primum: Infidelis (quo nomine alias latius accepto veniunt omnes à fide catholica alieni, adeoque & hæretici, hic tamen eo strictè accepto non veniunt pagani & judæi, seu qui nunquam fidem Christianam seu baptismum receperunt) ad fidem conversus, dum alter conjux in infidelitate remanens ei amplius, vel saltem non sine perversionis periculo & Creatoris injuria cohabitare vult, potest, ea dimissa, nubere alteri fideli, est certissima apud omnes, ut Sanch. *de matr. l. 7. d. 3. & 4.* per textum clarum *c. 7. de divortis.* non tamen eo ipso statim, quo convertitur infidelis, dissolvitur matrimonium cum manente infideli; sed tunc prius quando actu ad alias nuptias transit. Barb. *ad cap. 8. de divortis n. 18.* citatisquam plurimis, si verò antequam ad has transeat, alter quoque convertatur, cum eo in conjugio remanere debet juxta textum clarum *c. 8. de divort.* juncta *gl. v. compellitur.* & quidem, etiam si cum impedimento secundum canones dirimente contraxerint, excepto tamen gradu consanguinitatis tam linearis directæ quam collateralis, tales enim consanguinei separari debent, quia talia matrimonia inter patrem & filiam, inter fratres & sorores jure naturæ sunt irrita. de quo videtantisper Barb. in *c. 8. de divort. n. 2.* num verò, si conjux converti quidem renuit, cum converso tamen pacifice & sine perversionis periculo habitare parata sit, possit ac debeat continuare matrimonium resolvetur ad *l. 4. decret.* ubi ex professo de matrimonio infidelium.

2. Resp. ad secundum: Infidelis conversus habens plures uxores, ceteris dimissis primam solum retinere debet, si ea quoque convertatur, vel saltem pacifice & sine periculo perversionis ei co-

habitare velit Arg. *cit. c. 8.* Barb. *ibid. num. 11.* Si quidem cum prima solum contraxit verum & validum matrimonium, cum polygamia sit jure divino prohibita, unde etiam, si prima nolit converti, nec sine perversionis periculo cum cohabitare possit, nullam ex ceteris uxoribus etiam ad fidem conversis ducere tenetur. ut Barbo. *l. c. citatis Sanch. de matr. l. 7. d. 80. num. 8.* valent. *Tom. 4. d. 10. q. 1. punct. 3.* Reginald. Bonacin. & aliis.

*Quest. 880. an & qualiter infidelis possit ducere in uxorem, cujus machinationibus occidit ejus maritum.*

1. **R**esp. non potest in hoc casu talem in uxorem ducere, sive sit Christiana sive infidelis, pro ut statuitur & impedimentum hoc inducitur per *c. 1. h. t.* & cum communi tenent Sanch. *l. 8. d. 78. num. 3.* Ponc. *de imped. matr. c. 27. vers. sed quæres.* Sylv. Nav. Tolet. & alii, quos magno numero refert Barb. in *cit. cap. 1. num. 1. & 2.* neque hic juvat, quòd istâ cooperatio ea intentione facta, ut vir infidelis contractio secum matrimonio convertatur Arg. *cit. c. 1.* juxta quod mulieres, quarum machinationibus Saraceni occiderunt maritos eatum, non effugerunt hoc impedimentum dirimens, etsi per illas isti occisores fuerint conversi ad fidem, non enim facienda sunt mala, ut inde eveniant bona, etiam spiritualia, ut *gl. in cit. cap. 1. v. compensatio.* Abb. *ibid. num. 5.* & Barb. *num. 4.* Porro occasio inducendi hoc impedimentum fuit æquitas; cum justum erat, puniri aliquem in eo, in quo deliquit; qualiter verò hoc impedimentum induci potuerit in penam delicti commisi tempore infidelitatis, quo vir non erat subjectus Ecclesiæ, & qualiter hæc pena non extingatur per susceptum ab infideli Baptismum, sic rectius cum Henric. in *sum. l. 12. c. 14. §. 2.* Barbo. *l. c. Bith. h. t. num. 2.* & aliis, quod etiam per

per se ac directè illud non potest afficere maritum infidelem, reddendo illum inhabilem ad contrahendum cum ea, possit tamen indirectè seu per accidens afficere usum, afficiendo directè uxorem fidelem quæ cooperata est ad necem mariti, reddendoque illum in perpetuum inhabilem ad accipiendum illum infidelem, etiam conversum in maritum, & consequenter illum quoque ad ducendam illam in uxorem. Unde etiam, ut bene inferunt hi AA, si tam vir occisor, quam mulier cooperans tempore commissi criminis erant infideles, hoc impedimentum hancque pœnam, utpote solo jure ecclesiastico inductam non contrahunt, adeoque, dum postmodum ad fidem convertuntur, non impediuntur se invicem ducere in conjuges. & consequenter opus non est dicere impedimentum hoc & pœnam tolli per eorum Baptismum, etsi alias per eum tollatur una cum delictis pœnæ iis annexæ, cum esset contractam per eos impedimentum, aut etiam pœna, de cætero ad hoc impedimentum incurrendum requiritur primò, ut uxor cum viro aliquo in mortem sui mariti vel maritus cum aliqua muliere in mortem suæ uxoris conspiraverit activè concurrendo, v. g. mandato, consilio, vel ipsius facti executione ad necem mariti vel uxoris suæ. Unde non sufficit ad illud contrahendum ratihabitio factæ occisionis mariti, dum v. g. uxor resciciens virum aliquem maritum suum occidisse ea intentione, ut secum contraheret matrimonium & ex postfacto approbet & ratum habeat; cum juris dispositio statuens hoc impedimentum, utpote prohibitoria non sit extendenda ultra casum expressum. ut gl. fin. in cit. cap. 1. His non obstante, quod ratihabitio retro trahatur & æquiparetur mandato juxta regul. 10. juris in 6. cum id solum fiat fictione juris, & spectata rei veritate ratihabitio non sit mandatum, vel activus consensus seu influxus in necem, neque rationem cooperationis & machinationis, quæ necessariò requiritur, habere possit, dum post mortem mariti eam machinari aut mandare nequeat, ut Abb. in cit. cap. 1. num. 10. Sanch. cit. d. 78. num. 6. Pirh. h. t. num. 3. ad hæc ut ratihabitio retrotrahatur & æquiparetur mandato, requiritur, ut ratihabens utroque tempore & quo mandat, & quo actus exercetur, sit habilis ad mandandum, qualis quia v. g. non est infans, si quis nomine illius occidat hominem, & is factus major, id ratificet, non potest haberi pro mandante. neque etiam his obstante, quod ex generali regula, ut gl. & Bart. in l. 1. §. sed etsi. ff. de vi & vi armat. ratihabitio æquiparetur mandato in delictis in ordine ad pœnas juris incurrendas juxta c. 2. de sent. excomm. in 6. ubi quod ex post ratihabens occisionem clerici nomine suo factam incurrat excommunicationem, nam ut Pirh. l. c. excipi debet, nisi per legem pœna sive impedimentum aut inhabilitas aliqua specialiter sit statuta, alicui, eò quod activè concurrerit ad delictum, qualiter ratihabens nec physicè nec moraliter concurrat ad id, quod præteritum est. Requiritur secundò, ut conspirantes cooperentur neci alterius conjugis eâ intentione, ut inter se ineant matrimonium; non enim contrahitur hoc impedimentum, si ob aliam causam v. g. ulciscendi se id faciant. Barb. in c. 1. num. 6. idque, ut idem, etiam si intentio alia non significetur extrinsecus. Tertiò, ut uterque intendendum inter se inire matrimonium cooperentur ad necem per se, sive

per alium inferendam, ita ut satis non sit, si unus eorum tantum cooperetur. Sanch. cit. d. 78. num. 5. Barb. l. c. nisi interveniat inter eos adulterium, quod aliàs intervenire necesse non est, dum ambo cooperantur Sanch. l. c. Pirh. num. 4. Quartò ut occiso ipsa sequatur ex illa machinatione, secus si mors sequatur ex culpa medici aut Chirurgi vel negligentia vulnerati, ut arg. c. 5. cans. 31. q. 1. juncta gl. ibid. v. occidisse. Sanch. l. c. num. 6. Barb. l. c. n. 6.

*Quæst. 881. Infidelium uno converso & altero remanente in infidelitate, cui eorum proles communis assignanda.*

**R**esp. dum conjugum unus convertitur ad fidem, sive is pater, sive mater sit, proles, sive una sit, sive plures, concedenda seu relinquenda converso, si doli capax est, Sanch. de matr. l. 7. d. 73. num. 16. Barb. cap. 2. h. t. n. 1. & 14. citatis aliis cum communi & certa juxta cit. cap. 2. & c. 10. caus. 28. q. 1. Idque, ut ibi, ob favorem religionis, cum ut dicitur, l. 43. ff. de relig. & sumpt. fun. summa sit ratio, quæ pro religione facit & quia præcipuè spectandum est commodum prolis, ideoque dispiciendum apud quem parentem tutius & sine periculo perversionis à fide sit collocandus & mansurus, ut gl. fin. in cit. cap. 2. & Abb. ibid. num. 8. Neque refert, an proles sit minor triennio, quo casu alias spectato jure relinqui debet matri, ab ea educanda, ut pote magis egens opera & solatio matris quam patris, an major triennio, post quod alias proles à patre educanda, & non à matre, de quo alibi, & pro ut hic sub variis limitationibus & distinctionibus Barbos. in cit. cap. 2. num. 7. & num. 13. quem vide tantisper. non procedunt enim illa in casu nostro, ubi conjux unus fidelis, & alter infidelis. uti &, dum de fide agitur, nulla habetur ratio potestatis patris sub qua alias sunt filii, & non sub potestate matris secundum leges civiles. §. ult. Inst. de patr. potest. juncta L. mulierum. 6. Inst. de adopt. Unde jam etiam rectè inferitur, proles natas ex infideli & fideli jure posse præsentari ad Baptismum volente fideli licet reclamante infideli. ut arg. cit. cap. 2. Azor. pag. 1. l. 8. cap. 25. q. 3. Sanch. l. c. Pirh. h. t. num. 6. Barb. l. c. num. 2. citatis aliis. Quod ipsa procedere etiam, sive sit parens immediatus sive mediatus, ait Barb. ex Ricciul. de jure personar. extra gremium. Eccl. exist. l. 2. cap. 32. num. 24. testante sic resolutum fuisse in curia, ubi invita matre Judæa fuit baptizatus parvulus, eò quod defuncto ejus patre adeerat avus paternus, qui petebat eum baptizari. Quin imò procedit responsio, dum uterque parens infidelis & fidelis (puta quia hic non vult displicere uxoti infideli) nollit prolem baptizari. quia ex eo solo, quod infans habeat unum parentem fidelem, & qui sit de foro Ecclesiæ, ea jus habet compellendi fidelem ad offerendum filium (qui & ipse est de foro Ecclesiæ, quod habeat patrem fidelem uti Pirh. l. c.) ad Baptismum. Sanch. Azor. Pirh. Barb. LL. c. ad

ad Baptismum. Sanch. Azor, Pirh. Barbos. LL. cit. Ricciull. l. c. num. 27. qui etiam num. 28. id procedere ait, licet infans natus sit ex utroque parente infideli, dum unus ex illis post natiuitatem filii conversus est ad fidem. Dixi tamen in *respons.* Si proles necdum sit doli capax; alias enim, si sui compos sit, cogi non potest ad fidem, sed suæ libertati relinquere debet in hoc, an parentem fidelem seu conversum sequi velit eique adherere, an vero infidelem. Sanch. Pirh. l. c. Zeiffens. b. t. num. 7. pro ut definitur in Concilio Toletano relato in c. de *Judeis* s. *dist.* 45. in dubio tamen utrum proles rationis capax sit, pro favore religionis iudicandum, & consequenter illa relinquenda & restituenda parenti converso, tradunt Sanch. l. c. Sa. V. *Matrimonium.* Zeiffens. l. c. Illud hic obiter,

de quo alibi ex professo, notandum cum Barbos. l. c. num. 11. & aliis ex Azor l. c. cap. 11. q. 7. Turpia & nefaria esse pacta, ut liberi masculi patris sectam hæreticam, & si fœminæ, Catholicam matris religionem sequantur & teneant. Quid verò independentè à fidelitate & infidelitate dicendum, dum parentes vivunt in divortio, à quo eorum liberi tunc alendi vide apud Pirh. b. t. num. 7. ubi breviter, quod apud matrem educandi, & impensis patris alendi, si pater divortio causam dedit; apud patrem verò impensis matris, si ejus culpa factum divortium. verum de hoc accuratius alibi, uti & de pluribus aliis l. 4. *Decret.* quæ alias huc referri potuissent, nisi hic titulus binis jam propositis quaestionibus absolveretur.

## TITULUS XXXIV.

### De voto & voti redemptione.

#### CAPUT I.

### De voti natura, varietate, obligatione.

*Quæst.* 882. *Qualiter votum definiatur.*

1. **R** Esp. votum non pro desiderio, uti sæpe accipi solet, ut dum dicitur, rem pro voto succedere, aliquem fieri compotem sui voti; sed pressius & proprie acceptum pro promissione deo facta ex communi DD. definitur, quod sit promissio deliberata & spontanea deo facta de meliori bono.

2. Dicitur primò: *promissio*: per quod convenit cum promissione homini facta; differt autem à simplici proposito, etiam absoluto & efficaci, utpote quod non sicut promissio inducit obligationem ullam exequendi, quod animo conceptum est, neque ex intentione proponentis; cum is nullam intentionem obligandi se habuerit. neque ex natura ipsius propositi; cum alias, qui quotidianam v. g. auditionem missæ sibi proposuisset, omittendo illam; cum sit materia gravis, ad eam obligaretur, & consequenter omittendo illam peccaret graviter, atque ita proponens firmiter servare, quod lege præceptum est, peccaret duplici peccato. primò adversus præceptum violatum, secundo adversus obligationem proposito indutam. ita Sylv. v. *volum* 1. q. 2. Azor. *Inst. mor.* pag. 1. L. 11. cap. 12. q. 1. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 1. Sanch. l. 4. de voto. cap. 2. num. 20. Suar. *Tom.* 2. de relig. L. 1. de voto c. 2. num. 2. Less. l. 2. c. 40. du. 4. num. 2. Bonac. Covar. & alii, quos citat Castrop. *tr.* 15. d. 1. p. 2. num. 2. Debet autem hæc promissio esse vera, ita ut ad rationem voti non sufficiat simulata v. g. si fiat verbotenus tantum, vel si fiat quidem animo, sed non animo se obligandi ad executionem; sine qua obligatione volita subsistere nequit promissio. ita Suar. l. c. c. 3. à num. 3. Less. l. c. du. 1. n. 6. Azor l. c. num. 7. Valent. l. c. Castrop. l. c. p. 3.

num. 2. idque, ut idem cum Suar. Less. & aliis, si ve vovens sit conscius naturæ voti, naturæque ex eo obligationis, si ve ignarus. Veram tamen veram esse promissionem & veri voti rationem constituitur posse, si quis promitteret animo obligandi, seu exequendi rem promissam, probabiliter teneat Sanch. l. c. c. 1. num. 23. Suar. l. c. c. 4. à n. 3. Azor. l. c. q. 9. Gutt. *qq. can.* l. 2. c. 22. num. 3. Castrop. l. c. num. 4. & num. 5. ubi breviter objecta in Contrarium diluit. Contra valent. l. c. *vers.* si autem dicatur. ex ea ratione; quod, cum hæc duo, animus sese obligandi ad rem promissam exequendam, & animus exequendi illam sint distincta, consistatque ratio promissionis & voti non in voluntate exequendi, sed adæquatè in voluntate se se obligandi ad exequendum, possit adesse ratio voti, quin adsit voluntas exequendi illud; non secus ac esse potest ratio emptionis & venditionis, quin adsit voluntas traditionis, utpote sine qua hi contractus validi sunt. Item mandatum, quo quis alterum ad aliquid faciendum obligat, esse potest in ratione mandati validum, absque eo, quod mandans velit illud exequi per illum, ut patet, dum deus mandavit Abrahamo immolare filium, non tamen voluit illum exequi hanc immolationem, ita Wiestn. h. t. num. 5. Castrop. l. c. num. 4. qui etiam num. 5. in fine cum Suar. l. c. l. 5. c. 1. num. 7. Sanch. l. c. n. 35. & aliis ait, voventem non habentem voluntatem exequendi promissum, peccaturum graviter vel leviter pro ut materia voti levis est vel gravis; in cæteris verò modis simulatè vivendi, nimirum sine animo se obligandi, vel verbotenus tantum committi solum peccatum veniale, excepta simulacione vovendi commissa in professione ordinis religiosi & susceptione ordinis facti, eò quod licet non obligetur quis ad hæc suscipienda, eo ipso tamen, quo libere suscipiuntur, obligatur suscipere eo animo & voluntate, quam